

Z 6
3742



P

747

V. II^r 42

341
(cat. 4, 301.)



3

MEMORIA
VIRI CLARISSIMI,
GEORGII HESSI,
GOTHANI,

PUBLICI
IN ILLUSTRIS GYMNASIO GOTHANO
per plures annos

MAGISTRI,

& ad ultimum,

RECTORIS PERCELEBRIS,
de civibus suis & exteris optime meriti:
celebrata

a

GOTHOFREDO VOCKERODT,
EIVSD. GYMNASII RECTORE.

GOTHAE, LITTERIS REYHERIANIS.

CIO IOC XCVII.

L. B.

HOc, quod HESSIANÆ memoria honestanda causa, superiore anno, partim typis impressum, partim in solenni panyry recitatum est, non monumento solum, quod B. VIRO paratur, inseri; sed seorsim etiam excudi curare, & pluribus exemplis descriptum latius vulgare, ideo visum est, ut constet, quis ILLUSTRIS GYMNASII status, quis disciplina in eo regenda & tuenda ratio esse debeat, si hanc non tam rei scholasticae passim corrupta exemplo, & depravatione consuetudinis velimus metiri, quam propriis statutis, a SERENISSIMIS conditoribus & amplificatoribus, BEATISSIMO inprimis ERNESTO praescriptis, ab ephoris piis & sapientibus conservatis, & a clarissimis antistibus usurpatis. Ex istis presentem Gymnasii faciem & magistrorum studia aestimantibus, viris bonis, pietatis & rectiorum studiorum fautoribus, patefcet criminum obiectorum falsitas, eorumque vanitas, qui prisca huius scholae instituta a novandarum rerum cupidis, presentibus praceptoribus, damnata, vel reformata, dictitant. Etenim vigere adhuc in hoc Gymnasio religiosam illam, a PIO ERNESTO introductam rei scholasticae administrandae rationem, ac recta & salutaria statuta omnia studiosissime custodiri, intelligent ex subjecta oratione equi iudices, & idonei harum rerum aestimatores. Improborum, quibus nulla satis est defensio, iniqua iudicia & criminationes, ut & maleuolorum voculas, carpentes salutaria, & recta in probrum vertentes, tanto magis contemnimus, quanto minus meremur. Neque ideo de studiis iuventutis bene mereri desinemus: propitii & prepotentis NVMINIS auspicio auxilioque fretos, sub umbra SERENISSIMI FRIDERICI, DOMINI NOSTRI CLEMEN- TISSIMI, qui rectiorum studiorum fautor est, atque amplificator, nulla, nec atrox contumelia franget; sed eriget, quamdiu licet, bene faciendo, quod nobis, Deo ita volente, adhuc licet, refellere maledicta.

GEOR-

GEORGIANA
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI
SOLENNIA

XXIII. APRILIS, IPSO GEORGII DIE, HORA VII. ANTE MERIDIEM
IN AVDITORIO MAIORE

celebranda:

indicta

tabula hac interprete

a

GOTHOFREDO VOCKERODT,
RECTORE.

QUæ sunt ista, inquis, A MICE & VENERANDE LECTOR, scholæ solennia? quæ cerimonia noua, inusitata, inaudita, vel in hoc certe Gymnasio nunquam antea frequentata? Annon satis est feriarum, quibus corrumpi possunt tyrones? annon statata festorum tempora, &, quibus operarum scholasticarum vacatio, ex lege & ritu antiquo, docentibus discentibusque conceditur, horarum dierumque feriatorum crebra interualla oriandi, nugandi & ludicra agitan- di ignauis satis idoneam tribuunt opportunitatem? Cur ergo noua cerimonia quæritur, quæ honestetur otium & licentiæ aperiatur cursus? Qui ita sentiunt audito nouo solennium scholasticorum nomine, causa nondum cognita, non male sentiunt: capiunt enim iudicii sui de re noua modum & rationem ex publicis experimentis. Nam constat rei non modo scholasticæ, sed ecclesiasticæ etiam fraudi fuisse, bonisque moribus obfuisse illam festorum & feriatorum dierum frequentiam, illa solennia & iusta ludorum, quæ specioso quidem, sed infausto consilio, in Christianorum scholas ex gentili- um religione introducta sunt. In ipsis etiam barbaris ciui- tatibus plus boni extitit moris, quoad minus fuit religionis. Romanorum illustrior fuit virtus & maior frugalitas, antequam in republica multiplex ille cerimoniarum, ludorum, specta- culorum apparatus locum inuenit. Primis ecclesiæ CHRI- STIANÆ temporibus, cum nuda adhuc pietas placeret, non adeo frequentia erant statata illa festorum dierum solennia: CHRISTO enim DOMINO in spiritu & veritate seruientium omnes dies fuerunt DOMINICI & festa vita uniuersa. Nam rite feriata tempora putabant, non quæ otio & vacatione la-
A boris

boris transfigerentur, sed quæ malis studiis vacarent. Ex quo autem gens CHRISTIANA alienis dominis mancipata est, & CHRISTI DOMINI nomen & cultum voce iactare, animo vero suis seruire cupiditatibus cœpit, necessitas quidem coëgit dies celebrare feriatos & dominicos, quibus populus CHRISTIANVS a barbara seruitute reuocaretur ad cultum veri sui DOMINI, sed in solennia illa Ecclesiæ instituta tantum valuit superstitio, vt sensim multiplicata & additis variis ceremoniis deprauata, inualecente sub falsa religionis specie impietate, pene abirent in bacchanalia. Ita non ornatus, sed oneratus cultus diuinus corruit, & doctrinæ CHRISTIANÆ scientiam morumque probitatem traxit in casum. Quam cum reuocare in lucem & vsum aggredere vir diuinis plenus litteris & spiritu, Lutherus, apparuit, vix tantæ molis esse, doctrinam emendare, quam profligare contaminatam superstitione religionem, & impietate expugnare. Altera enim alteri ope nititur, & amice coniurant conualescuntque. Quis ergo non deprecaretur scholis recte constitutis noua solennia, quis non intercederet inducendis ritibus, qui corruptelarum materiam præbent immentam? Tertullianus iam tum ludimagistrorum sui temporis praua vituperat studia, gentilium Quinquatria imitantium, & Minerualia strenasque captantium: & ipsos eam ob causam refert in Idololatrarum censum in libello, quem de Idololatria scripsit*. Tam antiquus est iste scholarum morbus: adeo intentus fuit Satanas vitiandæ rei scholasticæ, in qua nouit verti spem Ecclesiæ, & tantum non generis humani salutem. Nullum est dubium, eundem impedire, quo minus liberalia præceptoribus stipendia soluantur, & ipsi honestiore loco habeantur, raturum, paupertatis humilitatisque impatientia eos adduci posse, vt malas & sacrilegas artes, & impia, quæ demonstrat, studia amplectantur, quibus mendicitatem expugnent, & hærentem professioni suæ leuent turpitudinem. Quanta itaque lætitia exultare putas Cacodæmona, cum videt plures scholas & earum moderatores tam calide in fraudem impulsos, vt nec ipsi sentiant, quibus constrikti vinculis teneantur, nec iis cupiant expediri: cum spectat

* CAP. X.

Quia

Quinquatria, quæ, Gregorianæ solennitatis nomine, solutio-
re quam bacchantium proteruia agitantur a grege puerorum
CHRISTIANORVM, ipsis magistris ductoribus, populo in-
spectante & applaudente: cum contemplatur scenas, ipsis
gentilibus ** contemptas, adornatas a magistris, spectacula,
quæ antiqua gens CHRISTIANORVM detestabatur, repræ-
sentata ab alumnis, larvas, in quibus Salios magis agnoscis,
quam CHRISTIANOS discipulos, saltantes in CHRISTI
ignominiam, specie natiuitatis eius honestandæ: cum deniq;
animaduertit, doctores artificiose corrumpere discentes cupi-
dissime corrumpi, efficique ludiones, qui per omnem vitam
res grauissimas, religionem & pietatem, lusum & iocum fa-
ciant, pro ludicris autem rebus suis opibus, copiis, honoribus,
voluptatibus, tanquam pro aris & focus DEI sui, & pro præ-
cipuis religionis suæ sacramentis pugnent pertinacissime. Gra-
tulamur ILL. GYMNASIO nostro, quod a primis eius insti-
tutis exclusa est illa vanitatis disciplina, quod legibus vindi-
cata, quoda magistris constantissime repudiata. En WILKII,
RECTORIS huius Gymnasii doctrina & dicendi facultate
floquentissimi, verba, quibus consilia, nescio a quibus, de Gre-
goriana solennitate in Gymnasium introducenda agitata
distuasit, & vt abiicerentur, persuasit: *Vereor, inquit, *** ne
temeritatis accuser, qui vanitatem admittam, a qua seculo
amplius fuerit immune Gymnasium. Festum esse ethnicum &
abominabile, Pontificium & superstitiosum, impium & bla-
sphemum: nouum hoc loco & insolens; eo tempore decretum,
quo a publicis vanitatibus cum omnes deceat, tum illos in-
primis abstinere, qui communibus calamitatibus deprecandis
esse præ cæteris debeant: inutile & ludicrum; cum peri-
culo coniunctum, quo non ad alacritatem in studiis iuuen-
tus excitetur, sed ad prauitatem; non ad humilitatem du-
catur, sed ad superbiam, non ad modestiam flectatur, sed im-
pudentiam, non ad probitatem doceatur, sed corrumpatur
ad nequitiam.* Nemo ergo existimet in fraudem melioris
disciplinæ, legibus publici constitutæ, industria & pietate
magistrorum conseruata & defensæ, ipso denique vsu con-

firma-

A 2

** Pfannerus Obseru. Eccles. VII. *** Orat. XLII.

firmatae solennia in hoc lyceum inductum iri, quae in scholis, in quibus frequentantur, pueros deprauant, & animis teneris frugalitatem excutiunt. Cum his nostra nihil simile habent; non laxandae, sed vindicandae & constituendae disciplinae acra sunt. Quid ergo, inquis, sibi volunt ista vestra GEORGIANA? quid pollicentur? spectaculumne GEORGII, EQVITIS cataphracti, pestiferum Sileae, vrbi Libyae, draconem obruncantis, & vitae suae periculo Regis filiam ex immanis bestiae faucibus redimentis, scenico repraesentandum apparatu? Non istud, sed maius & illustrius exhibebitur exemplum GEORGII cuiusdam, non in ficta pictaque fabula, sed dictis factisque praecclaris spectandi, qui non vnae regis filiam, sed plura MAXIMI REGIS pignora, regii filii morte partas, ac in locum dignitatemque regalium liberorum assertas animas, impellente stultitia praecipites in interitum, ex stygii draconis faucibus reuocando seruauit: GEORGII nempe HESSI, qui per quinquaginta & plures annos, pene quotidie, instar equitis cataphracti, in certamen descendit cum hydra Lernaea, indomita iuuentutis scholasticae vitiositate, eamque armatus spiritu diuino fortiter impugnauit debellauitque, ut, quoad pugnae corporis vires suffecerunt, libere lacertos mouere non posset. Huius itaque honori & meritis dedicata solennia dies aperit, in fastis VIRI BEATI nomine notatus, quem ipse suae memoriae sacrum esse, & anniuersaria solennitate in Gymnasio honestari in testamento praecipit, adscripta cerimonia, qua eam voluit celebrari. Nempe indictam GEORGII die Gymnasio supplicationem illustrari iussit oratione publica, habenda vel ab academico, vel scholastico alumno, qui studiorum subsidia accepit ex censu facultatum suarum & suae vxoris, in usus publicos collatarum, & ita collocatarum, ut plures ex illis sustentari possint bonarum artium studiosi: praeterea placuit, istius sermonis argumentum versari in gratiis DEO agendis, & in significatione muneris, coniuncta cum mentione eorum, qui illud constituerunt; denique eodem die xxiii. trium superiorum classium alumnis, ciuium Gothanorum filiis, ad libros emendos trecentorum florenorum vsuram habita ordinis, paupertatis & in-

du-

dustriæ eorum ratione voluit distribui. O Haberi id, quicquid est, honoris B. VIRO, & monumento aliquo tam insignem liberalitatem ad perpetuam posteritatis memoriam consecrari, æquum est, saltem vt publicum in scholas & litterarum studia beneficentiæ extet exemplum: quod ipse, festum in hanc rem diem deposcens, se spectare, non suo velificari honori in tabulis testamentariis affirmavit; quanquam luculentiora in BEATI VIRI manes pietatis officia & documenta a posteritate meritorum eius flagitet magnitudo. Cum enim non modo viuis omnem ingenii, doctrinæ, curarum, vigiliarum, longæque, qua vsus est, ætatis fructum in hoc Gymnasium liberalissime, & omni fide, contulit, sed moriens etiam, quicquid reliquum fuit fortunarum, publicis collegarum & studiosæ iuuentutis vsibus destinavit, facile apparet, vix ab vlllo RECTORE præclarius GYMNASIVM GOTHANVM esse auctû & locupletatû, quam a BEATO GEORGIO HESSO. Vt igitur expressius constet, quo iure huic ante annum septemque, & quod excurrit, menses defuncto RECTORI publicus in Gymnasio honor habendus, & anniuersaria solennitate perpetuandus sit, mearum esse partium arbitratus sum, merita & laudes eius præcipuas copiosius descripras sermone complecti, & recitando in publica panegyri repræsentare. Huic vt interesse velint

ILLVSTRIS GYMNASII
PATRONI ET FAVTORES,

& GEORGIANIS incipientibus sua præsentia conciliare decus & celebritatem, per B. GEORGII HESSI manes, perque desideratissimi præceptoris merita, ea, qua par est, modestia rogantur.

P. P. GOTHÆ XIX. APRILIS, CIO IDC XCVI

SERMO

SERMO PANEGYRICVS.

Veterum non modo more & instituto, sed proximæ & huius ætatis exemplo, vel laudantur in funere, qui de rebus humanis bene meruisse censentur, vel SACRO ANNI-VERSARIO, vt vetus habet lapis,* defunctorum manibus parentatur. Ad vsum enim pariter ac memoriam posteritatis pertinere videtur, in illustri loco sita esse, & advenientis ætatis notitiam, non solum vario promiscue laudantium sermone, sed & voce clarissima & solenni perferri, si qua extiterunt virtutum & præclarorum factorum exempla, in quæ intueri possint, quibus simile curriculum est ingrediendum. Nam satius est tutis & exploratis vestigiis insistere, quam proprii consilii fiducia, quæ plerumque ex inscitia & imprudentia nascitur, nouas amplecti vias, exituras, post consumptum vani laboris & conatus irriti apparatus, in publica damna, ac ipsis, qui eas calcant, præcipientes in mala decumana. Rei scholasticæ administratio, sacrum & generi humano salutare munus, quamdiu recta est, geriturque ex lege antiqua & longo vfu probata, facile vitiatur, si vel sensim consuetudinis deprauatione vetustæ disciplinæ ratio obliteratur, vel nouatur specie emendationis. Quoties itaque incidit in homines imperitos, impotentes, turbulentos & nouandarum rerum studiosos, qui scholasticorum negotiorum procurationem non exigunt ad legem præscriptam, nec respiciunt exempla & auctoritatem eorum, qui ante se sacro hoc munere præclare sunt perfuncti, sed damnata vetustate, neglectis maiorum institutis, rectis iudiciis repudiatis, temere & arroganter res suas administrant, adiuti confirmatique in malis studiis aliena libidine, praua voluntate & plausu, præcipue eorum, qui liberos suos recta & seuera lege, qualis est antiqua, proficere nolunt; toties profecto non solum scholæ, gymnasiâ & academiæ, sed ipsa religio & boni mores, atque cum his salus publica in discrimen vocatur. Fallor, an ab hac peste est miseria temporum nostrorum, quibus passim profligata & extincta sunt rectiora studia, & quæ successit, impotentia improbissimorum hominum tantam rerum omnium perturbatio.

* Berneg, ad Suet. Cæs. c. VI.

bationem inuexit, vt nec sanctis moribus, nec veræ doctrinæ amplius locus esse videatur? Deprecamur irati vitiis nostris NVMINIS inclementiam, & vt pestis illa & publica calamitas, ob rectiorum studiorum contemtionem imminens, absit ab his tectis, ab hac vrbe, & faceffat a terris omnibus, quousq; SERENISSIMI FRIDERICI, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, ditio & potestas patet, votis omnib9 optamus; at tamen scholasticorum magistrorum esse existimo, in hac rerum inclinatione quærere remedia, quæ opponant impendenti ruinæ, & vestigare vetustas illas vias, spectatas, probatas calcatasq; piis & sapientibus illis maioribus, qui litteras & pietatem, superstitione oppressâ, vindicarunt. In his monstrandis asserendisq; omnes ingenii opes & copias par erat explicare, neglecto hominum iudicio, qui ex quodam animi morbo præclara omnia fastidiunt, tanquam antiqua, vel si oblitterata seculi vitio veterum instituta reuocentur in vsum, vt noua criminantur. Quod qui in hoc Gymnasio facere instituunt, illis non diu præsidia circumspicienda sunt, quibus causam suam tueantur: non peregrinæ, non obsitæ situ vetustatis, & temporum puluere sepultæ imagines excitandæ sunt, vnde rerum agendarum capiant modum, & quarum cogitatione animum conforment inducantque ad persequendas in instituenda iuuentute scholastica vias rectissimas; hæc, hæc atria insignita habent vestigia, a clarissimis antistitibus impressa, non temere deferenda a successoribus, qui ILL. huius Gymnasii incolumitatem sartam tectamque esse cupiunt. Præsto sunt domestica instituta, longo & salutari vfu spectata; præsto sunt exempla magistrorum rei scholasticæ consultissimorum, quorum autoritas multis, qui eam, cum essent discipuli, suspexerunt, pene adhuc hæret in oculis, existimatio colitur in animis, in pectoribus calent desideria. Istane mihi licuerit mentione tam insignium virorum accendere? Licet per diei huius solennia, quæ B. GEORGII HESSI memoriæ consecrandæ destinata sunt, per vestra VIRI AMPLISSIMI studia, quibus de re scholastica & recta adolescentis ætatis educatione præclare meritos prosequimini. Vnum hoc seculum, quod nunc ab

occasu suo proxime abest, non huic tantum urbi, sed orbi
 terrarum ostendit WILKIVM, WEIZIVM, REYHERVM, & ho-
 rum partim ductu, partim exemplo conformatum GEOR-
 GIVM HESSVM. Hi omnes hanc sibi datam cum prouin-
 cia legem crediderunt, vt iisdem artibus illam ornarent, qui-
 bus vsus fuerat, cui successerant. Hoc pacto nullius RECTO-
 RIS morte deminutus est Gymnasii Gothani splendor, sed læ-
 tius latiusque iubar suum diffudit, dum non occidit fati fun-
 ctorum fides, virtus, autoritas, sed in successoribus reuixit. Vt
 autem insignita & extantia essent, quæ sequerentur vestigia,
 ac vt in superiorum Gymnasii antistitum vitæ actum, tan-
 quam in speculum, possent intueri in locum suffecti, & ab eo
 discere rerum agendarum indolem, casus & modum: studio-
 se vitæ factorumque eorum momenta excusserunt, college-
 runtque laudis documenta, collecta ea, qua, præstabant di-
 cendi facultate, ornarunt, & in propatulo repræsentarunt, vt
 tanta maiorum merita, quanta fuerant, non modo sibi, sed
 & aliis viderentur. Id honoris habuit WILKIO WEITZIVS,
 WEITZIO REYHERVS, REYHERO B. GEOR. HESSVS, semperque
 decedentium vita succedentium norma fuit & exemplum.
 Ego, qui a rectis vetustatis institutis nouandis, vel abrogandis
 totus abhorreo, ac, ex quo inter publicos huius Gymnasii præ-
 ceptores cooptatus sum, & substitutus in locum Reçtoris de-
 functi, nihil prius & antiquius habui, quam tueri antiqua, &
 omnem muneris mihi demandati conatum conuertere ad
 conseruandum eum IL. Gymnasii statum, qui optimis legibus
 & salutaribus SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM auspiciis,
 in primis SANCTISSIMI & BEATISSIMI PRINCIPIS
 ERNESTI consilio & cura antiquissima est constitutus; id
 autem in primis spectare, vt legum optimarum potius valeat
 vsus, quam iactetur autoritas: circumspectis rebus omni-
 bus non video, vnde rectius rerum agendarum rationem pe-
 tam, quam a B. GEORGII HESSI vitæ factorumq; curriculo.
 Huius enim munus publicum in hac litterarum officina in
 quinquaginta septem retro annos patuit, vita pene totum hoc
 seculum complexa est: hic florentis huius Gymnasii fortunæ
 &

& incrementis non modo a prima ætate, vt spectator & alumnus interfuit, sed per maximam vitæ partem præfuit, vt administrator. Cum enim non solum ad bene merendum voluntatem, sed etiam ingenii vim doctrinæq; apparatus attulisset, me tacente existimari potest, quam salutare futurus ille sit mihi & aliis scholasticæ rei procuratoribus exemplum, si cognitum sit atque perspectum, quale, quoad vixit, Gymnasii fuerit decus, quantumque cum eo ademtum illi sit præsidium? Quod dum ritu vetusto ostendendum erat, cui istud magis, quam mihi, conueniebat, quem non modo causa priuata & ratio necessaria impellit ad contemplandam in GEORGIO HESSO boni RECTORIS imaginem, sed publici officii ratio. Quem enim potius, quam nouam rectorem, decebat honestare manes defuncti, & solenni prædicatione vindicare ab obliuione merita luculenta? Hoc dum facere aggredior, video, quos habiturus sim iudices & plausores? Video VIROS AMPLISSIMOS, qui constrictam conscientia tantorum meritorum tenent memoriam, & fructum, amplissimis, tam sacris, quam ciuilibus muneribus admoti, conferunt in rempublicam. Vtar ergo ea breuitate, quam recipit rerum dicendarum dignitas, ea fide, quæ esse debet religiosæ orationis sub testibus, quæque constat annalibus ipsius HESSI manuscriptis. Fauete A. O. O. H. pietati & necessitati dicentis, & date veniam locumque sermoni inculto, ac inter curas molestissimi muneris meditato.

Longum esset, & ab instituto nostro alienum, ire per omnia vitæ momenta, per omnes fortunæ casus, quibus iactatus est B. GEORGIUS HESSVS, per vulgata illa documenta laudum, quibus, quoad vixit, fulsit. Satis erit ea faltem producere in medium, ex quibus intelligi potest, quantus fuerit CLEMENTISSIMI NUMINIS fauor, qui huic Gymnasio HESSVM dedit, conseruauitque per tot annos rectorem, quantasque pro isto munere gratias hæc ciuitas Deo debeat, cui vni & soli merito omnium recte faciendorum auspicia, recteque factorum gloria tribuitur. Satis erit ea non tubducere per inuidiam aut verecundiam, quæ rei scholasticæ recte procuran-

C

dæ

dæ suppeditant exemplum, male procuratæ censuram. Ne-
 cesse enim est eum in laudando adhibere modum, qui nec
 laudantis, nec defuncti, qui laudatur, onerat modestiam. Si
 enim vulgo difficile est cauere, ne laudem affectare videaris,
 quam alii tribuis, quanto magis suspiciosa erit diligens eius
 laudatio, cui ex muneris stationi decedenti fueris suffectus?
 Neque præterea adeo facile est consequi, vt probabilis sit ora-
 tio veras scholastici hominis laudes prædicantis. Nam pro-
 pter temporum iniuriam, & iniquitatem vulgariū de re scho-
 lastica iudiciorum, vix quicquam æque obscurum & ambi-
 guum est, quam vera laus doctoris scholastici. Hanc si re-
 ctè constitueris, contraria omnia opinioni dices populari. Cum
 enim ipsum rerum in scholis rectè agendarum fundamen-
 tum, sanctæ disciplinae custodia, non legibus spectata, sed pro-
 bata vsu, vulgo res sit pene intolerabilis, difficulter persua-
 debis, veras & salutare artes, quibus illa continetur, in laude
 & plausu esse reponendas. Damnare quæsitæ in scho-
 lis vias ad potentiam, gloriam, honores, opes, otia, quæ ple-
 rumque discipulorum auctoramenta sunt: docere male a pa-
 rentibus persuasos, hæc tanquam caduca, imbecilla & fragi-
 lia fortunæ membra non modo non esse expetenda, sed au-
 thoritate & exemplo CHRISTI contemnenda, abiicienda,
 conculcanda: reprehendere vitia & turpitudinem, quam non
 minus ex potentiorum laribus, quam casis rusticis efferunt
 pueri, & in scholis libere proferunt: subigere disciplina cre-
 scientis ætatis ferociam & arrogantiam, quæ vulgo domi pro
 virtute est, indulgentioribus parentibus specie indolis erectio-
 ris blanditur, inque magnæ spei omen vertitur: reuocare a
 corporis voluptatibus, ab ipsis gentilibus damnatis, quibus a
 multis asseritur licentia? traducere ad studia salutaria, adultio-
 res, & seriis rebus aptos, a pestilentissima otandi nugandique
 consuetudine, indignisque aliis CHRISTIANO auocamentis, qui-
 bus ficta iactataque honesti laxamenti necessitas lenocinatur:
 terrere æternis suppliciis sanctiori disciplinae refragantes, & in
 eo deprauati seculi consuetudine, potentiorumque exemplo
 nitentes: omnem denique muneris conatum conuertere ad
 euel-

euellenda ex teneris animis femina impietatis, ad abducen-
 dos adolescentes a publicis profanisque moribus, quibus uti
 vulgo prudentia est, iisque imbuendos, qui a sensu Euange-
 lli & spiritu CHRISTI proficiscuntur, quos hoc seculo præ-
 se ferre satis est ad infantiæ, vel insignis stultitiæ opinionem: has
 in scholis artes factitare, his regulis metiri muneris admini-
 strandi rationem, & in eo nec aura duci populari, nec a sacra-
 tissimo instituto vel gratia potentum, vel cupiditatibus se pati
 dimoueri: ea deniq; est vera laus scholastici doctoris. Talis
 agit, quod a CHRISTO agere iussus est, quamuis displiceat
 multitudini, cui ista iuuentutis instituendæ ratio, recta licet
 & antiquissima, absurda, ridicula, noua, hæretica, vel saltem a-
 liena videtur a nostris temporibus & captu puerorum. Quod
 si igitur GEORGIVM HESSVM ea in regendo Gymnasio
 spectasse affirmem, si ea potissimum laude ipsum censerem vo-
 luisse ostendam, verendum mihi erit, ne vulgi iudicio non
 tam commendatione, quam odio & vituperatione, ne dicam,
 execratione dignus videatur. Nam in vulgus, qui velit com-
 mendari ludimagister, istis contraria omnia sentiat, dicat fa-
 ciatq; oportet. Huic enim *probantur*, qui postposita, vel
 aliis relicta morum cultura, artes profitentur & vias ad opes &
 dignitates compendiaras, easque patefacere præceptis, & mu-
 nire exemplis laborant: *tolerabiles* sunt, qui mores intra
 ciuilibus honestatis modum coercere, & pueros a manifesta tur-
 pitudine reuocare student, quamuis ipsis tumor & fiducia sui,
 perpetuum improborum ludimagistrorum malum, bonam
 mentem pene excusserit, ut propter inficitias a pueris deri-
 deantur; soli *execrabiles* sunt, qui CHRISTI præcepto &
 exemplo puerorum mores formare instituunt. Dum enim
 artibus paulo ante memoratis vtuntur, audiunt insani insa-
 nientis sapientiæ doctores & puerorum corruptores, præser-
 tim si ab iis quidam instituti, ipsius etiam Pythagoræ præce-
 pto, publicas vias ingredi, seruire parentum cupiditatibus, &
 publicis moribus studia sua seque accommodare recusent.
 Adeo boni præceptoris notio & forma in vulgus ignota est,
 & vbi patescit infesta, ut vix locus & dignitas optimis viris su-
 per-

peresset, si multitudinis iudicio eorum delectus ageretur. At vero in hac concione libere iactari possunt HESSI virtutes, vulgo infestæ: atria hæc veritati & libertati sacra sunt. Secreta est his parietibus turba, summtota hinc populi iudicia, silent voces recta vituperantes & laudantes aliena; conticescerent sane, si adessent, qui secus sentire vellent, ac veras scholastici rectoris laudes intelligentium summorum, qui concionem hanc ornant, virorum autoritate & nutu continerentur, ut quod sentiunt, præ verecundia non possint libere enunciare. Per vim legum sanctissimarum, quarum imperio & præscripto antistitis huius scholæ officium definitur, multitudinis ut moribus, ita sensui & iudicio contrarium esse oportebat, qui hanc spartam velit ornare. Quare ad præcipuum decus HESSI pertineret, si ostenderimus, omnem eius conatum, omnes curas, omnes vigilias, consilia denique omnia instituta, parata ac intenta fuisse in disciplinam scholasticam, rem tam necessariam & publice priuatimque salutarem, quam vulgo odiosam, molestam, ac malis quibusque intolerandam. Quid enim aliud spectauisse putatis BEATISSIMUM PRINCIPEM ERNESTUM, tam solertem bonorum & vtilium ingeniorum æstimatorem, ipsumque rei scholasticæ consultissimum, dum ex pluribus ingenio & doctrina florentissimis hominibus HESSUM delegit, quem ILL. GYMNASIO præficeret gubernando, quemque sanctæ & rectæ disciplinæ præsidem & custodem confideret futurum? Etenim cum sapientissimus & religiosissimus PRINCEPS ad salutem publicam circumspiceret, & animaduerneret, istius fundamentum esse rem scholasticam, sancte & prouidenter constitutam, non modo inter grauissimas reipublicæ curas eius ornandæ, corrigendæ & amplificandæ rationem habuit, sed id imprimis negotii sibi dari credidit, ut idoneos & optimos, qui eo tempore haberi poterant, conquireret rerum scholasticarum procuratores: ratus, quod experientia docet, iacere optima quæque instituta, irritas esse leges sanctissimas, hebescere seuerissimorum mandatorum autoritatem, si desint, qui ea exequi possint velintque curare diligenter. Cum autem inter omnes,
quo.

quousque ditio SVMMI PRINCIPIS patebat, ludos litterarios præcipue ei cordi esset Lyceum, in regia hac ciuitate ante sæculum a SERENISSIMIS EIVS MAIORIBVS fundatū: cumque in eo ornando, & recte constituendo, potissima eius cura euigilaret, commodos semper quæsiuit magistros, qui tanquam fideles administri destinata perficerent, & muneris officia tuerentur, & exequerentur ex præscripto. Reyherum ex Hennebergico, quod Schleusingæ floret, Gymnasio, fama & meritis ipsius præclare illustrato, ad capeffendam ludi litterarii, qui Luneburgi est, gubernacula proficiscentem reuocauit ex itinere, cum nulla publici muneris in Gymnasio Gothano esset vacatio. Nam pactus nouo & luculento stipendio viri voluntatem & industriam, & aucta antistitis WEITZII dignitate, Rectoris titulo honestatum cooptauit inter collegas. Huic fati functo, SVMMI multumque prouidentis PRINCIPIS iudicio, non inuentus est dignior HESSO successor, cuius fidei tutius committeretur hoc pietatis & bonarum artium sacrarium, optimis legibus recens munitum, nouis classibus & magistris auctum, liberalissimis stipendiis locupletatum, nec minus prouident a principali & inusitata beneficentia, quam industria & studiis curatorum adeo amplificatum, vt inter nobilissimas Germaniæ scholas excelleret, & plerisque legum sanctitate, alumnorum frequentia, magistrorum fidelitate, studiorum subsidiis, & publica disciplina anteiret. Quis enim felicius scholæ huius statum florentem potuisset tueri HESSO nostro, qui surgenti ad tantam celebritatem non interfuerat modo a prima vsque pueritia, sed cum Reyhero sex & triginta annos præfuerat, & adnascentibus incrementis manus adhibuerat obstetrices, ceu diligens legum vindex, & rectoris vigil ac custos disciplina. Patuit profecto tam longo annorum interuallo, quid Gymnasium posset expectare ab HESSO rectore, tam præclare ornatum a collega? Quid enim non despondisset PIVS PRINCEPS muneris VIRI huius, qui suscipiendo dignitatem non voluit demum experiri, an par esset ei sustinendæ, sed parem habilemque se probauit multis & luculentis felicis institutionis experimentis: inter

amob

D

quæ

quæ magnam ætatis partem consumserat, & pene confenuerat. Summum itaque collegii gradum ascendit, non PRINCIPIS voluntate promiscua delectus, non traditus alieno favore & gratia, non suffragatione, malis artibus comparata, obtrusus, sed virtutis, solidæ doctrinæ & fidelitatis commendatione PRINCIPIS conciliatus, bonis probatus, & ab AMPLISSIMIS Gymnasii CURATORIBVS propter egregia industriæ, frugalitatis, habilitatis, & in custodienda disciplina seueritatis specimina, quibus non modo scholasticæ functionis tempora, sed vitam retro actam illustrauerat, isti muneri pridem destinatus. Satis quidem erat HESSO ad insignis pietatis, & magnæ virtutis opinionem, ERNESTO PRINCIPIS placuisse; sed nec minus considerandum arbitror, quemadmodum studia sua, & muneris procurandi rationem approbauerit SYMMIS VIRIS, supremis ecclesiarum, quæ in his florent provinciis, PRÆSVLIBVS, GLASSIO, GOTTERO, TRIBBECHOVIO, rei scholasticæ existimatoribus doctis & intelligentibus, nec non censoribus seueris. Pii & religiosi isti sacrorum antistites institutionem iuuentutis in scholis adeo non metuebantur vulgaribus iudiciis, adeo non diuellebant pietatis & artium disciplinam, vt partim ipsi optimorum institutorum ad coercendam alumnorum licentiam, & sancti moris culturam pertinentium essent autores, partim conseruatores. Tanti certe B. Glassio vita est disciplina, vt eius custodiendæ necessitatem imponeret Gymnasii præceptoribus, rogato in eam rem, anno huius seculi supra quadragesimum octauo, PII PRINCIPIS mandato. Quod cum promulgandum esset, indicta sunt Gymnasio solennia, conuocati curatores, congregati magistri cum alumnis. In conuentu hoc, antequam lex de custodienda disciplina recitabatur, reuerendus PRÆSVL habito de scholæ & Gymnasii vocabulis, nec non de necessitate disciplinæ cum doctrina coniungendæ sermone bene longo, causam scholasticæ informationis egregie perorauit, & quibus rebus spectatam velit ludimagistrorum integritatem & industriam, declarauit. Diem, quo hæc acta sunt, tanquam Gymnasio festum & faustum, Hesses in annalibus

sup

D

dome-

domesticis sua manu notavit, legemque, ceu vni sibi latam, amplexus pro perpetua muneris administrandi regula, ad sensum PII PRINCIPIS, & PRAESVLIS sapientissimi, omnia sua adiunxit studia, nec alia ratione officio suo se satisfacere putavit, quam si in formandis ad praescriptum iuuentutis moribus, & recta disciplina continendis omnes ingenii vires, omnes doctrinae copias explicaret. Qui disciplinam scholasticam audiunt nominari, propter consuetudinis deprauationem, vix aliud sibi in animo fingunt, quam virgas, baculos, carceres, alapas, clamores, plaustra conuitorum, minas, rugas frontemque magistrum, contumeliam, paratissima orbiliorum arma, quibus cum homines non adeo mali disciplinam omnem contineri falso persuasi sunt, horrent ipsum nomen sanctissimum. At PIVS PRINCEPS, & scholarum, quos habuit, recte constituendarum administri aliam coercendae non modo, sed emendandae iuuentutis rationem circumspexerunt, alias artes inuenerunt, quibus temperari oporteret disciplinam, quasque frequentari a magistris voluerunt. Salutaris illa disciplinae, illa sapientiae, illa felicitatis aeternae instrumenta, nempe illas doctrinae CHRISTIANAE praecipua, & caetera instituta intelligo, quae auctoritate & auspicio PRINCIPIS, cura & consilio Glassii & Brunchorstii, qui eo tempore a sacris aulicis erat, sapientissime in puerorum usum confecta, & in scholas introducta sunt. Haec non tantum spondent fructum & successum in formandis tenerae aetatis moribus, sed exhibent. Reddunt enim, teste experientia, pueros puellasque rerum diuinarum intelligentiores viris, sine tali institutione sanctiores litteras professis, si saltem contigerit magister, qui verbis sensum, rebus spiritum, & praecipua vitae exemplum velit possitque accommodare. Hunc disciplinae modum statuerunt viri laudatissimi: nec alium in superioribus classibus adhiberi voluerunt, quousque alumnorum improbitas ea ratione posset contineri, nec effrenata se iactaret licentia aduersus ductum gratiae castigantis. Existimarunt enim fore, ut ex lectis inculcatisque diligenter diuiniore litteris verae pietatis sensus se in teneras mentes insinuaret, easque feliciter coereret & e-

mendaret, quam iteratum indies fustuarium. Eam ob causam viri pii & sapientes non puerorum solum, sed adolescentum aures diuinæ doctrinæ decretis, & sanctissimorum oraculorum vocibus, inter humanæ sapientiæ instrumenta, artium linguarumque scientias, perfonare, & has ex illorum præscripto & magisterio tradi percipique voluerunt. Testatur de hoc instituto illa lectionum & operarum scholasticarum institutio & lex publica, quæ tempore REYHERI, recens inaugurati, promulgata est, a B. GEORGIO HESSO, in annalibus paullo ante in testimonium citatis, diligenter annotata. Huius auctoritate imperatum est superiorum classium præceptoribus, sacrarum litterarum lectionem omnibus horarum interponere interuallis: videre, ne quis alumnorum diebus feriatis a sacris absit publicis sine venia: ne intersint per incuriam: exigere stata hora post meridiem sermonis matutini argumentum: conuocare ante sacra matutina ad acroama Hebraicum, nec dimittere ad concionem nisi bene præparatos. Tacitus prætereo legem, iis Gymnasii statutis, quibus docentibus discipulisque officia præscribuntur, insertam: quæ a magistris ad alumnos crebras cohortationes ad sinceræ sanctitatis studium haberi præcipit. Nec cuiquam obscurum esse potest, quorsum spectet laudatissimus, qui in hoc Gymnasio obtinet, ritus, ex quo grex discipulorum a suo quisque magistro ad coenam dominicam deducendus, cohortatione & precatione aliquandiu sollicitè præparandus, & paullo post confirmandus: nec non singulorum nomina, cum pietatis profectu, & vitiis, in tabulis perscribenda, &, qui illis sunt a confessionibus, viris sacerdotibus exhibenda sunt? Certe omnia ista instituta abunde declarant, doctores scholasticos, qui in Gymnasio Gothano officio suo recte fungi velint, non modo liberalium artium magistros, sed religiose viuendi præceptores esse, nec alia, quam hac ratione, tueri oportere disciplinam. HESSVS quomodo vltus fuerit legibus istis, quantumque in iis tuendis studium ipsius extiterit, æstimatores & iudices appello omnes, qui eo magistro litteras & frugalitatem didicerunt, earumque fructum in rempublicam conferunt & ecclesiam

fiam

fiam: hi enim vitæ eius, & muneris administrati, testes esse possunt vberiores. Ac TE EXCELLENTISSIME & SUMME REVERENDE FERGENI! appello, in cuius inspectionem vltima HESSI tempora inciderunt. Conscijs & testis idoneus es viro, senio & morbis confecto, laborum, curarum & vigiliarum, quas pro GYMNASII salute & asserenda rectiore disciplina ad extremam vsque sustinuit senectutem. Certe nulli officii parti HESSVM defuisse, sed pro facultate sua religiosissime munere suo functum, fidem mihi facit ille osor impietatis, ille vanitatis contemtor, ille veritatis & moris frugalitatisque antiquæ amator animus, quem breui ante mortem (neque enim prius familiariter eum nouisse mihi contigit) in senibus exhausto, & eam ob causam vacationem muneris publici nacto, toties ex illustrioribus iudicijs deprehendi, quoties illum, consilii ex ore senis, oraculo mihi potiore, capiendi causa, salutavi. Recordatus temporum illorum videor mihi videre senilis frontis hilaritatem, oris ridentis suauitatem, & cani verendique capitis nutus: ipsas voces, ætatis ingrauescentis imbecillitate paullulum impeditas fractasque, videor audire, quibus gaudium suum testabatur, quod disciplina scholastica, temporum iniuria inclinata, vindicaretur a casu: quod leges vigerent: quod antiqua valerent instituta, ab alumnis templa frequentarentur, subsellia explerentur & augerentur: quod præceptores reuerentia, studia diligentia complectantur discentes, quod tranquilla pacataque essent omnia. Nulla autem re magis lætari videbatur, quam quod custodirentur cœnæ dominicæ celebrandæ statuta tempora. Recordor sanctissimi voti, quo arctiora ex primæ ecclesiæ ritu vehementer optabat. Denique immoderatus paullulum iactare recens excitata alumnorum studia, quæ perturbatiore rerum statu aliquandiu iacuerant, illamque meliorem Gymnasii florentioris faciem tribuere per modestiam videbatur nouorum magistrorum industriæ, quam a propitio Numine in fessæ fractæq; ætatis solatium precibus impetrabat, & ipse salutaribus consilijs ibat formatum. Sane nunquam ex animo meo delebit obliuio amantissima senis desideratissimi, &

E

vlu

& summum cenſet in libello, paullo ante laudato, quod ipſi admodum iuueni, Ienæ ſtudiorum cauſſa commoranti, conflatum eſt a muliercula, corporis copiam offerente, ad libidinem ſolicitante, & quas poſſet blanditias verborumque lenocinia fruſtra adhibente, quibus expugnari poſſe putaret iuuenis pudicitiam. Leuiora iſta, quæ commemoro, videri poterant, inprimis cum luculentiora extent pietatis documenta; ſed non exiguam, mea ſententia, habent ſignificationem animi vere probi, qui expreſſius cognoſcitur ex factis ſpecie carentibus, quam exiis, quæ parantur & adornantur in ſpeciem. Tanto quippe gaudio exultabat HESSVS, recordatus ſcopuli præteruecti, quanto vix dolore anguntur, qui in eum, Sirenum cantu allecti, impactique, ingenii, temporis & fortunarum omnium naufragium fecerunt: grauiusque ipſi periculum viſum eſt, ad nefas ſolicitari, quam damnum alii ſe paſſos putant, qui adhuc iuuenes, αὐτῶν κακὸν ἀμφοταπῶνες, vel ipſi alios ad nefanda ſolicitarunt: quorum multi excuſatius ſe peccaſſe perſuaſi ſunt, quod & oportunitas ſibi lenocinata ſit; ac errori iuuenili imputant, quicquid culpæ admiſſum eſt, quamuis ſenes eam nondum ſerio deteſtentur. Inuſitatam igitur puræ caſtæque mentis curam declarat tam pertinax in iuuenile illecebrarum contemptus, tam ſeria per omnem vitam deteſtatio, tam iucunda euitatarum recordatio in ſene. Nolite mirari, cur tam ſtudioſe argumenta perueſtigem cumulemque, quæ HESSVM pietatis non modo tradendæ, ſed pro facultate ſua colendæ rationem habuiſſe demonſtrant? Quis eſt, qui neſcit, reliquas virtutes omnes huic ſuperſtrui, ornamenta omnia hinc lumen accipere & decus, facta denique omnia ex ea æſtimanda? Floruiſſe HESSVM ingenii & magnæ doctrinæ laude: inclaruiſſe maturis felicis indiſtriæ ſpeciminibus: ad publica munera ſatis ampla fuiſſe expetitum: illuſtraſſe ingenii doctrinæque opibus per plures annos ILLVSTRE hoc GYMNASIVM: omni fide, diligentia, conſtantia, patientia moleſtiſſimi muneris officia expleuiſſe: fama habilitatis & fidelitatis ex diſſitis locis alumnos allexiſſe: in vſum reipublicæ & eccleſiæ formaſſe viros egregios, SECKENDORFIOS, BACHOVIOS,

VIOS, SAVLIOS, REICHENBACHIOS, HAPPIOS, WEXIOS, PRVCK-
 NEROS, BECHMANNOS, PAVLINOS, nec non militari gloria &
 fide excellentem, magnum illum belli ducem, TVNGIVM,
 pluresque alios amplissimas dignitates consecutos: fauisse in-
 geniis alumnorum, & paupertatem eorum amplexum esse,
 beneficiis suis aliis fuisse adiumento, aliis ad maiora nitenti-
 bus commendatione & suffragatione comparasse præsidia, &
 in eam rem potentum gratiam & beneficentiam sollicitasse &
 conciliasse: denique suas & vxoris ornatissimæ, paullo ante
 fati functæ, opes & fortunas omnes publicis piisq; vsibus at-
 tribuisse, libros & signa Gymnasii bibliothecæ, supellectilē pau-
 peribus, pecunias autem ita collocasse, vt ex reditu quotannis
 tenuiorum ciuium inopia leuari, aliquot bonarū artium studio-
 sis stipendia, COLLEGIS GYMNASII accessio persolui, vidua horū
 familiæ pignora sustentari, alumnis libri donari, bibliotheca
 locupletari possit: & facta alia laudesque innumerabiles non
 aliam pulchritudinem, nec aliud verum habent decus, quam
 quod a pia & religiosa HESSI voluntate consequuntur. Nam
 tanta sunt huius generis argumenta, tam laudabilia facta &
 merita, quam submissus est animus, vnde ea proficiscuntur,
 quam bona & pia est facientis intentio; non quanta est for-
 tuna, quæ faciendi tribuit facultatē & subsidia, nec quanta est
 gloriæ auiditas, quæ ad faciendum impellit. Hac ratione æsti-
 mari voluit HESSVS, quicquid publicorum commodorum
 causa fecit instituitque: neque enim alio pretio ad merendum
 inuitatus, nec meritorum alio præmio ductus vult videri, quam
 DEI gloria & posteritatis vtu. Meministis, quotquot ante
 sesquiannum, & quod excurrit, funeri B. VIRI interfuistis,
 quantopere detestatus sit vanitatem gloriæ causa bene me-
 rentium? Audiuistis, cum historia vitæ eius pro concione re-
 citaretur, verbis conceptis testificantem, si tantillum cupiditatis
 gloriæ sibi superesse sensisset, excussurum se, & mentē senlum-
 que eo fuisse liberaturum, vel, vt ipsius verbo vtar, se guttam
 sanguinis, quam gloriæ auctoamento duci mouerique ani-
 maduertisset, apertis venis proiecturum & damnaturum fuis-
 se. Dignum profecto HESSO votum, & præclarum religio-

ſæ voluntatis documentum ! Quanquam, vt eſt mens hu-
 mana, non ita facile eſt peruidere ſtimulum, qui ad recte & pie
 agendum concitat, ac, cuius generis ſit, ſine errore diiudicare,
 adeo, vt non temere Orator Latinus philoſophos arguat, ipſos
 laudis trahi ſtudio gloriaque duci, qui de *contemnenda glo-
 ria libellos* ſcribunt, quod nomen ſuum inſcribant: & *in eo
 ipſo, in quo prædicationem nobilitatemq; deſpiciunt, prædica-
 ri de ſe, & nominari* velint. At vero noſter plura modeſti
 ſubmiſſique animi dedit documenta admodum adoleſcens,
 ſimulationis nondum capax. Nam cum plerique adoleſcen-
 tuli, qui in ſupremo ſcholasticorum ſtudiorum curriculo ver-
 ſantur, fiducia ſui elati, præpoſtera feſtinatione, refragantibus
 præceptoribus, tranſeant in academias, & honori ſuo fraudi
 fore exiſtiment, ſi vltra maturitatis tempus, quod præpoſte-
 ris iudiciis plerunque metiuntur, morentur in ſcholis: HES-
 SVS, plenus litteris ſcholasticis, non ſuo tantum, ſed magiſtri
 etiam ſui, CLARISSIMI WEITZII, abire iubentis iudicio diffi-
 ſus, ab hoc pene extruſus eſt. Prætermiſſa honorum acade-
 micorum inſignia, quæ meruiſſet: prælatum ſacerdotio, quod
 potuiſſet obtinere, munus ſcholasticum: contemta famæ mo-
 numenta, quæ, curis vtilioribus poſthabitis, non pauci libris
 ſcribendis ſibi ſtatuunt: conſtans per omne vitæ tempus in
 ſtatione moleſtiſſima permansio, vt ab ea nec inglorii labo-
 ris faſtidium eum abſtraheret, nec ingratorum iniuriæ frange-
 rent, nec ampliora munera auocarent, fane indubitatae ſunt
 moderationis non vulgaris notæ. Quæ quamuis maxime
 deeſſent, illa ipſa ambitionis, paullo ante memorata, deteſtatio
 non modo piæ mentis luculentum indicium, ſed etiam, pro-
 pter autoritatem dicentis, vim quandam habitura eſt in ſanan-
 dis hominum iudiciis, qui cupiditates honorum pueris relin-
 quendas, quin incendendas eſſe clamant, tanquam indiſtriæ
 inſtrumenta. Quis enim pueris commendaret, quod tenex
 diris deuouet, ac quo, tanquam labe foediffima, omnem re-
 rum actum, & facta omnia vacare optat? Effecit itaq; HES-
 SVS iſta animi moderatione, vt non modo liberalitatis, ſed
 & omnium maximarum eius virtutum laus integra ad ſeros
 poſte-

* Orat. pro Archia.

posteris propagetur, dum nullam se eius partem sibi arrogasse viuum, aut iactando detriuisse professus est. Quare conuenit in eum, quod Ioachimus Camerarius de Caspare Bornero dixit: * *Fuit hic omnino vir egregius, & multis magnis uerisq; virtutibus ornatus, qui pius & ingenuis studiis fundandis tuendisq; fortunas, vitamq; suam impendit.* At audire mihi quorundam uoculas uideor, qui, quamuis meritis uiri obrectare non audeant, animi tamen incitatoris eum fuisse dicant: erunt, qui seueritatem & nimiam tristitiam, ne dicam asperitatem, ei exprobabunt: nec deerunt, qui nimium antiquitatis studium, & pertinaciam in retinenda veteri tradendarum litterarum & artium ratione, & repudiandis consiliis nouis reprehendent. Verum enim uero postremum, quod uitio uerti quis posse putet, HESSVS laudibus suis adscribit, & in eo exultat, quod summouerit a Gymnasio rerum nouandarum cupidos, homines turbulentos, quod conseruauerit ueterem docendi modum, a sapientissimis maioribus prouidentissime constitutum, & cum fructu per multos annos usurpatum. Cæterum dandum aliquid muneris necessitati. Difficultas morum, in ludimagistris frequens, non semper est indolis, uel deprauatæ uoluntatis, sed consuetudinis, cuius ipsi sibi non sunt conscii, uitium. Iuuentutis illa desultoria leuitas præceptorum seueritate contineatur oportet, & nutu magistro: quem cum semper intentum in tyrones habere cogantur scholastici doctores, nisi gregi suo peccandi licentiam facere uelint, in tristitiam abit illa perpetua contentio, & mentis frontisq; hilaritatem extinguit, nec non externi habitus elegantiam destruit, ut mirum non sit, plerosque ludimoderatores dediscere mollia fandi agendique tempora, mores, quos docet frequentata seueritas, efferre in publicum, & reliquum uitæ actum, ac referre illam, quam * * Lucianus describit, Mineruæ faciem formidabilem, truculento aspectu, & ferocitate supra modum uirili. Notauit Ioannes Ludouicus Viues, quæ adferre secum solet artis Grammaticæ longum exercitium, uitia uulgatissima; eorumq; causam explicat in iis libris, quos de tradendis disci-

* Vita Melanchth. p. m. 72. ** Dial. Vener. & Cupid.

plinis sapientissime confecit. Nam inquit: *Quod in ludo inter pueros desident, ad ineptias & puerilitates, tanquam contagio, protrahuntur, grauitatemq; ac moderationem omnem amittunt; & dum vitia puerorum coguntur animadvertere, qua sunt innumera, & subinde renascentia, nec ea stomachus virilis potest concoquere, coguntur prope seuire atq; efferrari. Immo in illud pistrinum detrusi communi sensu multum minuuntur, unde magna in eorum vita & consuetudine existit difficultas morum, atq; incommoditas. Festiue igitur quidam dixit, mirandum non esse Grammaticos iis esse moribus, quos a primo statim Homeri versu trahant: Μῆνιν ἀείδε θεῶν.* Quo Hispani hominis de scholasticis magistris iudicio si metiri vellem HESSI nostri mores, quos ex familiari consuetudine paullo ante decessum potui deprehendere, cum iam tum ætatis ingrauescentis accessisset molestia, quæ mitiora etiam ingenia solet exasperare: certe vix credidissem, eum tot menses munere scholastico functum, quot annos illud iustinuisse constat. Tanta in sene decrepito apparuit mansuetudo animi, & facilitas morum: tanta me visentem vultus hilaritate excipiebat, morantem verborum comitate prosequabatur! Scilicet ille magnis virtutibus exaggeratus animus, illa naturæ bonitas sanctiore disciplina confirmata, nec senili fastidio, nec longo annorum, quibus in schola sudauit, interuallo potuit expugnari. Vim autem animi incitatoris quis reprehendat in ludimagistro? Qui rei scholasticæ rationem introspicunt, adeo non dubitant, necessariam esse præceptori animi quandam contentionem, vt, qui ea careat, ad scholasticum munus rite obeundum non satis idoneum iudicent. Præstabat illa HESSVS, sed moderate ea vsus dicitur, nec eam adhibuisse, nisi crescentibus delictis disciplina acuenda, & male obsequentium alumnorum frangenda, & supprimenda esset contumacia. Ita in schola nemini fuit intolerabilis, nisi scæuis & disciplinæ impatientibus animis; foris nemini molestus, aut odiosus, nisi ipsius sancti muneris, quod ludimagistri gerunt, contemtoribus superbis & ingratis: quorum gratiam expetere, cum tam infida sit, quam ipsi, imprudentis; demereri

velle

26 3742

40

ULB Halle 3
004 837 541



f

Sb

K 547

11. 2



MEMOR
VIRI CLARI
GEORGII
GOTHA

PUBLIC
IN ILLUSTRIS GYMNASII
per plures annos
MAGIST

& ad ultimum
RECTORIS PER
de civibus suis & exteris
celebrata

a
GOTHOFREDO VO
EIVSD. GYMNASII RE

GOTHAE, LITTERIS REYH.
CIC ICX XCV

